Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 485
Quelle:
Copyright:

1226. cum enim *Thomas* anno etiam dum 1244. ſcripſerit, neceſſe eſt, ut *viginti* et *ter bis* ſumamus, annoque demum 1246. mortuum dicamus. Ubi vero terrarum *Yporcia* locus exilii? Diu perquirenti ſuccurrit tandem *Ambr. de Morales* in *Coronica General de Eſpaña* edit. *Complut.* 1575. T. II. in *Antiquit.* p. 99. 4. qui notat ad *Conſtantinam* urbem in *Turdulis* in *Andaluſiae* et *Extremadurae* confinio ſitam: *Llamoſe el municipio Iporcenſe, como parece por una piedra, que alli ſe halla.* In hoc vero lapide legitur: *Corneliae. Clementis. F. Tuſcae. Sacerdotiſſae. Perpetuae. Ordo. Iporcenſium* &c. Quo tamen merito, aut qua calamitate *Thomas* noſter *Vercellis* exactus ſit *Iporciam*, nemo tradit.

II. *fol.* 153. habetur continuo ἀνεπιγραφως Commentarius myſticus et totus *Dionyſianus* in *Cantica Canticorum.* Ille videlicet, dices, *Thomae Vercellenſis*, quem *Pezius* T. II. *Theſ. Anecd.* P. I. *col.* 503. e Codice Aſceterii ſui *Mellic.* edidit. Eadem, fateor, mihi mens erat, primum intuenti. Verum aliud docuit Collatio. Nullum Prooemium *Pezio*; at nobis ultra 5. *columnas* productum hoc initio: *In hoc glorietur qui gloriatur, ſcire et noſſe me. Jer. 9. g. Duplex deſignatur hic dei cognitio, vna intellectualis que operatur per conſiderationem* &c. Commentarius *Pezii* ſic orditur: *Deiformis animæ gemitus amativi* &c. Noſter vero ſic: *Oſculetur me oſculo oris ſui. Cor. II. dum ſumus in corpore, peregrinamur a domino. Oſculo oris ſui id eſt vnicione ad uerbum patris* &c. Ita et per decurſum omnia diverſa. Quid igitur tenebimus? Commentarium noſtrum non eſſe *Vercellenſis?* Darem libenter; ſed audi. *Fol.* Codicis 117. p. 2. Indicem Rerum alphabeticum in Commentarium noſtrum praeoccupavit Librarius, eique miniatam hanc ſubjecit clauſulam: *Explicit tabula ſuper Cantica Vercellenſis. Finita et ſcripta Anno gratie M°. CCC°. 44°. anno.* Num ergo *Thomam*, ut in *Dionyſium*, ita et in *Cantica* bis ſcripſiſſe credemus, an majorem fidem Codici noſtro membraneo, bene ſervato, et, ut vero ſimile, vetuſtiori habebimus, quam *Peziano* chartaceo, et, quod nec ipſe diffitetur in *Diſſert. Iſag.* p. 18. admodum depravato? Rem expediret aliquatenus inſpectio Exemplarium *Vercellenſis in Cantica*, quorum plura in *Angliae* Bibliothecis ſervantur, ut magnus *Edw. Bernardi* docet Catalogus. Inter haec cum Collegii *S. Benedicti Cantabrig.* Codex 1316. habeat *Prooemium*, fortaſſe cauſſam nobis evictam daret.

III. *fol.* 169. *Incipit opus magiſtri hugonis in yerarchias ſancti dyoniſij epiſcopi de differentia mundane theologie atque diuine et demonſtrationibus earum.* Initium: *Judei ſigna querunt et greci ſapientiam. Fuit enim quedam ſapientia* &c. *Hugo Victorinus* eſt, et hic ejus Tractatus T. I. *Opp. Rotomag.* 1648. p. 469 f. legitur. Exemplum noſtrum ad multa σφαλ-